

dohaneriorum Baroli. et ipse et alii socii sui exhibuerunt decimam et Iura predicta archipresbitero et Capitulo Baroli predictis annis. quibus extiterunt Cabelloti dohane Baroli de mandato magistrorum procuratorum et secretorum et audivit etiam dici et notorium est quod ipsi a tempore qd. domini Regis Guillelmi primi et secundi et aliorum feliciū antiquorum et Catholicorum Regum Sicilie usque nunc quartam partem decime ipsorum proventuum Baiulationis dohane et aliorum veterum Iurium in Barolo. nec non tarenos auri quindecim. ac etiam libras sexaginta de cera pro cereo pascale pacifice et quiete consueverunt percipere et habere annis singulis a magistris procuratoribus. Camerariis et secretis ac dohaneriis et fundicariis supradictis. Item dixit quod vidit pluribus annis infra predictis ipsos clericos ipsius Ecclesie sedere in dohana Baroli et percipere proventus ipsius dohane pro parte Ecclesie supradicte. et audivit etiam dici et notorium est. quod Ecclesia Baroli per clericum consueverat percipere quartam partem decime *etc.* Interrogatus si sciret de qua quantitate pecunie solvebatur quarta pars decime supradicte dixit se scire quod tempore ipsorum Regum *etc.* Imponerentur Iura fundici et aliorum novorum statutorum in Regno per quondam Imperatorem fredericum solvebatur decimam ipsam de tota quantitate pecunie que de iuribus predictae Baiulationis et dohane percipiebatur sive per credencieros qui iura ipsa procurabant et exercebant sive per Cabellotos. quibus eadem Iura ad extaleum concedebantur. set postquam predicta nova statuta Imposita fuerunt per predictum Imperatorem ut dictum est consueverunt percepi predicta Iuria fundici et aliorum novorum statutorum in Barolo aliquando per credencieros qui Iura ipsa percipiebant et aliquando per Cabellotos. quibus Iura ipsa in extaleum concedebantur. et de tota quantitate ipsa consueverunt deduci tertia pars pro novis statutis de quibus decima non solvitur et de Re-